UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAtalogus sancto//rum [et] gestor[um] eor[um]

Petrus <de Natalibus>

Lugduni, 1508

De sancto Symeone episcopo et martyre. Cap[itulum]. cxxxv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70797

Visual Library

⁊ oratione premiſſa decollata eſt. Cui⁹ corpus
ſephonia ſenatrix accepit: ⁊ eũ in naui detulit:
vt romã veniens ipm ibidẽ ſepeliret. Sed orta
tempeſtate nauis in fines campanie ad portuz
puteolanum impellitur: ⁊ ibidẽ vno miliario a
mare corpus virginis ſepelit. Eleuſius vero non
poſt multo tẽpore nauigãs maris tẽpeſtate cũ
trigintaquattuor viris ſubmerſus eſt. Paſſa ẽ
autem virgo xpi. xiiij. kalen. martij.

¶ De ſctõ pollochronio epõ ⁊ mar. Ca. cxxxij.

Pollochronius eps et
martyr apud babyloniã ciuitatem
paſſus eſt ſub decio ceſare. Qui cũ
aduerſus perſas congreſſus eſſet:
⁊ habita victoria multas ciuitates obtinuiſſet:
veniẽs ad ciuitatẽ babylonie Pollochronium
epiſcopũ xpianorum teneri iuſſit cũ preſbyte-
ris parmenio: elymate: ⁊ chryſotello: ⁊ diaconi
bus luca et mutio: quos fecit duci ad ſacrifi-
candũ: ⁊ ſacrificare nolẽtes ac xpm cõfitẽtes
in cuſtodiã recluſit multis diebus. Interimqꝫ
in ipa vrbe templũ ſaturno edificauit. Et cũ ad
nouum templum epm cum eius clero duci fe-
ciſſet: et vt ſacrificia offerrent inſtaret: ⁊ pollo
chronius neqꝫ ſacrificare neqꝫ verbũ aliqͦd de-
cio reſpondere vellet interrogauit decius per-
meniũ cur eps eoꝝ mutus effectus eſſet: qui re
ſpondit: ꝙ nõ obmutuerat: ſed os ſanctũ inter
ſtercora coinquinare nolebat. Propter qͦd deci⁹
linguã parmenij precidi fecit: q̃ tamẽ vt prius
expetite loquebat. Tũc iratus decius iuſſit os
pollochronij lapidibus contũdi. Et dũ cederet
emiſit ſpm. Poſt hec decius ambulãs in ciuita-
tẽ cordulã: parmeniũ ⁊ ſocios ſecũ vinctos ad
duxit: de quibus in eorũ paſſione aget decimo
kalen. marij. Corpus vero pollochronij ante tem-
plum dimiſit. Quod duo reguli abdon ⁊ ſennẽ
xpiani noctu colligentes ante muros babylo-
nie tumularunt decimotertio kalendas martij.

¶ De ſancto Sauino epo. Cap. cxxxiij.

Sauinus epus ciuita-
tis canuſine claruit tpe totille re-
gis gothoruz. Qui inter cetera do
na ſibi a deo conceſſa: ſpũ ꝓpheti-
co claruit. Qͦd totilla rex gothoꝝ audiẽs mini-
me credidit: ſed probare ſtuduit quod audiuit.
Cũ eni in eiſdẽ partib⁹ deueniſſet: ⁊ a viro dei
inuitatus ad eius dexterã diſcubuiſſet: cũ iam
epus longo ſenio lumen oculoꝝ amiſiſſet: puer
ex more eidẽ patri poculũ prebuit: ſed rex ſi-
lenter manũ extendẽs calicẽ puero abſtulit: eũ
qꝫ per ſe vice pueri epo porrexit. Tunc ille cali
cẽ accipiens: ſed tamẽ miniſtrũ nõ vidẽs dixit:
viuat iſta manus viuat talis miniſter. De quo
rex letus erubuit: qꝛ ꝓuis deprehenſus eſſet:
in ſancto quod querebat inuenit. Cum autem
ſabinus longo ſenio traheretur: archidiaco-
nus eius epiſcopatum ambiens: viniſuſoris
eius animũ precio precibuſqꝫ corrupit vt mixto
vino ſibi venenum propinaret. Qui refectionis
hora epiſcopo veneni poculum obtulit: ſed epi
ſcopus eidem vt illud ſtatim biberet impera-
uit. Tremefactus pincerna deprehenſuz ſe ſen
tiens maluit moriturus bibere: quã penas pro
tãta homicidij culpa tolerare. Cumqꝫ ad os ſibi
calicem poſuiſſet: epiſcopus compeſcuit ſeqꝫ
venenum bibiturum obtulit: mandans vt ad il
luz qui ſibi dederat iret: eiqꝫ diceret ꝙ sauinus
quidem venenum biberet: ſed ipſe minime epi
ſcopus eſſet. Facto ergo ſigno crucis venenum
epiſcopus bibit: ⁊ illeſus permanſit: eademqꝫ
hora archidiaconus eius alibi exiſtens ſubito
defunctus eſt: acſi per os epiſcopi ad archidia
coni viſcera mortiferum tranſiuiſſet. Quieuit
in pace vir domini. xiij. kalendas martij. Hec
gregorius. iij. dial. cap. v.

¶ De ſanctis Maximo ⁊ Claudio
ſocijs martyribus. Cap. cxxxiiij.

Maximus et claudius
fratres caij pape ⁊ gabini preſby-
teri: ⁊ vxor claudij prepedigna ⁊ fi
lij eius alexander et cucia precla-
riſſimi genere ex vrbe: agente fratre eorũ bino
preſbytero a ſancto caio papa baptizati ſunt.
Ob hoc iuſſu diocletiani impatoris tenti ſunt
a iudice iulio. Et maximus quidem capitalem
ſententiam accepit. Claudius vero cum coniuge
⁊ filijs in exilium deportati: deinde incendio
cõcremari odoriferum martyrij ſacrificium do
mino reddiderunt. Quorum corpora in mare
apud oſtiam iactata fuerunt. Sed eorum reli-
quias chriſtiani requirentes cum corpore ma-
ximi iuxta muros oſtie vrbis ſepelierunt. Qui
paſſi ſunt. xij. kalendas martij.

¶ De ſancto Symeone epiſcopo
et martyre. Cap. cxxxv.

Symeon epus hiero
ſolymitanus ⁊ martyr: ꝓpinqu⁹
ſaluatoris ſm carnẽ extitiſſe di-
gnoſcitur ac filius cleophe qui
fuit frater ioſeph iuſti: vt dicit Hieronymus.
Hic vt. iij. eccleſiaſtice hyſtorie habetur poſt ia
cobum fratrem domini hieroſolymoruz ponti-
fex: ſub perſecutione traiani imperatoris cum
iam eſſet decrepitus: accuſatus eſt ab attico cõ
ſulari tanqꝫ chriſtianus. Qui ab eo tentus mul
tiſqꝫ ſupplicijs affectus: tandem crucis pati-
bulo appenſus martyrio conſumatus eſt: om-
nibus qui aderãt etiam ipſo iudice de eius pa
tientia admirantibus: ⁊ ꝙ. cxx. annorum ſenex
crucis patibulũ pertuliſſet: qui paſſus eſt. xij.
kalendas martij.

¶ De ſancto Sabino preſbytero
et martyre. Cap. cxxxvi.